

161 talis aperte remouetur. Aut non militant: & sic ad munus dictum minimè inueniuntur idonei, cum id deſit illis, propter quod ad munus, probitatem & integritatem requirens eximiam, eliguntur. Suis ergo reſidere ſinuntur in domibus, vt ibi, non terrarum, ſed cœli immenſa ſpatia, quò eorum dirigendus eſt curſus, metiantur.

Hiſpanis quomodo terra diſtribuantur: & quod præſcriptione ſine titulis ſe tueri poſſint.

Etiã ſine illis ſtare poſſent poſſe iura conſcientiã

Ne terra diſtributa Eccleſiæ vendantur quomodo ſtatui poſſent.

Non extenſi diſpoſitionem vltra Nouã Hiſpaniam quia oſioſa: neque in vſu apud Peruanos.

161 Iam quod ad Hiſpanos ſpectat quibus terræ diſtribuuntur, ſatis eſt prouida diſpoſitio. & nulli legitimos oſtendenti titulos moleſtia inferitur, ſicut neque quadragenariam probanti poſſeſſionem, ſuffragante illi præſcriptione, vt DD. Solorzanus, & Escalona aduertunt; eſtque iuxta Inſtructiones, quæ menſurarum iſtarum iudicibus obſeruandæ proponuntur. Immo neque quadragenariam requiri, ſed longiſſimam ſufficere tradit ex citatis prior in Politicâ pag. 993. s. *Aunque ſin embargo*: iuxta regulas præſcriptionis, & probabiles Doctorum ſententias, pro quibus videri poſſunt quotquot de iuſtitia & iure agunt, & præſertim Societatis Auctores, ex quibus P. Molina Diſput. 73. & 74. P. Leſſius Lib. 2. cap. 6. Dub. 8. P. Turrianus Diſp. 47. Dub. 7. & P. Gaſpar Hurtadus Diſput. 2. Diſſicult. 11. An autem qui titulos non habet nec præſcriptione ſe tueri poſſet, ſit tutus in conſcientiã non vtens compoſitione, inquiri merito poteſt: & videtur affirmandum; quia licet per generales regulas iniquus poſſeſſor, qui ſcilicet alienum occupat, tutus in conſcientiã non ſit; in caſu tamen præſenti ſpecialis eſt ratio ex Regiã conuenientiã: non enim Reges noſtri poſſeſſores tales vt aperte iniquos tractari permittunt, ſed vt benignè cum eis agatur ſerid adiuuent, vt qui ſpoliari eos nolint, ſed honeſtã compoſitione ſeruire. Dum ergo illi parati ſint ad compoſitionem huiusmodi, non ſunt vt grauis peccati rei condemnandi, atque ad reſtitutionem nimis oneroſam arctandi. Pro quo etiam ſatis tales agricultores terras ſuo labore conditionis melioris reddere, & ita domino pretioſiores, vt non penitus inuiti cenſeri debeant, quandoquidem eorum negotium vtiliter agitur: & ſi labor huiusmodi non fuiſſet, terræ ſic poſſeſſæ proſuſ inuites extitiſſent.

162 Illud tamen difficile occurrit, quod in Schedulã Ann. 1535. habetur Tomo 1. pag. 65. & 66. Sic enim poſt commedatam terrarum diſtributionem additur: *Conque loque aſſe les repartiere, no lo puedan vender à Igreja, ſopena que lo ayen perdido y pierdan, y ſe pue da repartir à otros.* Videtur namque illud manifeſtè contrarium Eccleſiaſticae immunitati. Quod tamen conantur defendere D. Solorzanus ſuprà, pag. 994. in principio. & Dom. Escalona Parte 1. Lib. 1. pag. 98. num. 31. vbi ait quòd licet prædicta Scheda in Nouã-Hiſpaniam fuerit directã, iuxta illam etiam eſt in Peruuio iudicandum; quia iſta duo regna eiſdem legibus gubernantur, & eadem eſt in illis ratio. Putatque rationem deciſionis fuiſſe, ne decimæ, & conſequenter Noueni Regij minuuntur. Sed certè eum odioſa & pœnalis talis diſpoſitio ſit, non debet vltra terminum, ad quem eſt directã, protendi, vt eſt communis ſententia, quam tenent Nauarrus, Caſtrus, Gloſſa, Emmanuel Rodericus, P. Suarez, P. Salas, P. Molina, P. Thomas Sancius, quos adducit & ſequitur P. Palaus Tomo

1. Tractat. 3. Diſput. 5. Puncto 3. s. 4. num. 3. iuſtitis iis quæ habet, num. præcedentibus. Diana Parte 1. Tractat. 10. Reſolut. 26. vbi alios refert. Deinde in Peruuio talis diſpoſitio in vſu non fuit, & ita ab illarum regionum Eccleſiis, & Religioſis compoſitiones admiſſæ, non ſolum quando tertij poſſeſſores, ſed cum primi. Ex quo Regij Noueni nullatenus immuniti in eã quantitate, quæ per eorum labores non ampliùs compenſentur. Dum enim terras colunt, fructus habent quos vendant, & emptores cum venditionem repetunt, ex eã jura Regia magis accreſcunt, quàm ex portione tenui additã Noueni accreſceret. Quin etiam quòd hæc ratione laicorum bona copioſiora ſunt, dum pro eleemofynis non vrgentur, cum habeant Religioſi vnde ſuſtentari commodiùs poſſint: ex maiori autem bonorum in priuatis copiã, in Regem ſua etiam emolumenta redundant. Scheda ergo dicta, & quia immunitati Eccleſiæ iuxta receptiſſimam ſententiam aduerſa, & illis expedita temporibus, quibus reſ iſtæ non ita attentè, accuratè, iudicè, & religioſè proſpiciantur, non multum videtur vrgere, quæ & aliàs per non vſum longiſſimi temporis merito abrogata poteſt iudicari.

163 Id autem quod de terris dictum eſt, ad aquas etiam referendum; & fontes quidem ac ſcaturigines eiſdem ſunt, cuius & terræ, in quibus ſuam habent originem, vel quaſi partes vel quaſi fructus, & ita cum terris pariter conceduntur. Poteſt ergo quis eorum aquis pro libitu vti. Quod autem ex irrigationibus extra terras proprias fluit, impediti nequit quòd minus indigenti proficiat: vbi enim efluxerunt, jam domini prioris eſſe deſierunt. Vnde qui vt vicino incommodent ac aliò diuertant vbi viles illi eſſe nequeunt, inhumane agit, & grauitè contra charitatem peccat. Credo autem & contra iuſtitiam peccare, quia Rex, qui terras donauit aut vendidit, nullo modo voluit eas ſic transferre, vt aquæ ipſarum, quæ vicinis viles eſſe poſſent, inuites redderentur. Et quidem ſi Rex ita vellet, contra charitatem peccaret: ergo credendum non eſt inhumanum illum abuſum voluiſſe. Ex quo ſit ſic tradidiſſe illas, vt earum dominos ad non diuertendas inuitiliter cum vicinorum incommodis obligarit. Quia verò prætextus aliqui ad diuersionem dictam afferri ſolent, & vtilitates affirmari; ſic facientes conſcientias ſuas conſulant, & Deo iudice intentionis arcanum recognoſcant.

164 De fluminibus autem maior videtur eſſe difficultas, quia illa communia ſunt, vt habetur Inſtit. de rerum diſpoſitione. s. 2. vbi ſic dicitur: *Flumina autem omnia, & portus publica ſunt; ideoque ius piſcandi omnibus commune eſt in portibus ſtuminibusque.* Sic ibi. Quod ſi ita eſt, licebit omnibus, qui prædia in Indiis habent, pro libito aquas educere ad irrigationem neceſſarias. Quod tamen ita non accidit: prohibentur enim tales ſic agere, & pro irrigatione ſuæ ſunt menſuræ & tempora conſtituta, vt omnibus prædiis aqua ſuppetat, pro quã ſolet vſque ad ſanguinem decerari. Fluminum ergo aquas Rex diſtribuit vt dominus, vt jam non publica eſſe videantur. Ad quod quidem cum diſtinctione mihi videtur reſpondendum. Sunt quidem flumina publici &

Aqua eius ſunt, cuius & terra.

Difficultas ſpecialis ad aquas poſt irrigationem eſſentibus, an inuitiliter poſſint diuertiri.

Flumina eſſe communia.

Inſtit. de rerum diſpoſitione.

Quomodo cum eo ſtat aquas eorum diſtribui, vt ad Regium dominium pertineant.

Flumina cadere ſub dominium poſſe, & in Indiis eſſe Regium.

Non peccari mortaliter eò quòd plus aqua, quã deſignata fuerit, aſſumatur.

Limitatio notata diſp.

& communis vſus, quando ſic perſonalis eſt, domeſticus pro ordinariis miniſteriis: vnde & bibere quis gratis ex flumine quouis poteſt, & ad domeſticas neceſſitates quantum voluerit deportare. Hinc eſt illorum ſententia, qui dicunt aquatores non debere aleualum, quia aqua venalis non eſt. L. Mela. s. finali D. de alimentis & cibariis legatis. Pro quo videri poteſt P. Fragoſus Tomo 1. pag. 400. num. 51. Non tamen licet vſus, ex quo detrimentum aliis prouenire poſſit vt ſi quis velit partem fluminis in proprium commodum deriuare, ex quo alij damnum patiantur: cuius ſunt generis deriuationes ad irriganda prædia; quæ ſi cuique liceant pro arbitrio, multis ad irrigationem neceſſaria copia deficiet, & ita detrimentum erit legetum manifeſtum. Oportet ergo vt ſuper hoc ſuperior adſit prouidentia, per quam vnicuique aqua ſufficiens tribuatur, inter prædia irriguã proportione ſeruata. Tunc ergo aqua ſibi ſpecialiter attributa vnicuique eſt dominus, vt eam poſſit prout voluerit agrorum ſuorum plantis & ſementibus applicare. Ex quo ſequitur & fluminis eſſe dominium poſſe: ſicut enim aquæ pro ſuo prædio attributa dominus eſt: ita & qui agrorum omnium eſſet dominus, in quibus prædia exiſtunt, poſſet totum flumen ad irrigationem ſibi commodas applicare: vnde & illius etiam eſt dominus aſſumendus. Poſſe enim flumina ſub dominium cadere, communis ſententia eſt, vt videri poteſt apud P. Leſſium Lib. 2. Cap. 4. num. 52. id tamquam certum ſtatuentem. Et hoc pacto rectè intelligitur quomodo Reges noſtri in Indiis fluuiorum domini dici poſſint, quatenus ſcilicet agros ſuo poſſent colere nomine, & fluuium integrum ad irrigationem eorum deriuare. Quando ergo agros cum aquã neceſſariã ad irrigationes tradunt, quod ſuum eſt tribuunt, & dominij actum exercent; niſi circa hoc velimus de nomine litigare.

165 Videtur autem ex prædictis ſequi neminem poſſe plus aquæ vſurpare ſibi, quam ei ſic Regiã impartitione permiſſum: vnusquisque enim ſuæ eſt dominus portioſis, vnde eam auferens iuſtitiam conuincitur violare. Et ita quidem generaliter aſſerendum eſt, vt ratio adducta demonſtrat. Non tamen propterea videtur de mortali peccato dampnandus, & cum reſtitutionis onere, qui ex communi alueo plus aliquid ſumat, quàm ſit illi per publicam poteſtatem aſſignatum. Neque enim reſ iſta cum eã videtur obligatione diſpoſita, neque neceſſitates terrarum ad vnguem dignoſci poſſunt, aut propter vſurpationem huiusmodi notabile aliis detrimentum generari. Vnde & in hoc quotidiana compenſationes ſiunt, dum quique pluſquam illi impartitum ſit conatur attraxiſſe. Sunt etiam damna alia vicinorum communia, quæ compenſari hoc pacto poſſunt, cum de eorum non conſtet qualitate. Quin etiam quod aqua ex ſe reſ communiffima eſt pluſquam terra, vt diximus: & licet ad dominium pertinere poſſit quæ fluminum eſt, non tamen cum eo rigore quo alia: & ita illius diſtributio non eſt ſub mortali peccati reatu ſerupuloſis limitibus obſeruanda. Si tamen quis aquam iam in agrum alterius immiſſam, & intra illum fluentem, inde ad ſuum deduceret, alueo,

per quem decurrat, aperto, non videtur à reatu dicto excuſabilis & reſtitutionis obligatione; quia aqua illa ſpecialiſſimè erat ſub dominio prædij illius, & ſumptibus propriis inducta, & ita ſurtum in eo manifeſtè comittitur, cuius & damnum ob irrigationis defectum pariter aſſumendum.

166 Pro prædictis autem iuuant doctrinæ probabiles grauium Scriptorum loquentium in ſimili. Si quis contra prohibitionem in loco publico communitatis paſcat aut ligna cadat, non peccat mortaliter, neque ad reſtitutionem tenetur, quidquid de peccato veniali ſit. Ita Dom. Sotus de Iuſtitia & Iure Lib. 4. Quæſt. 6. Art. 4. & alij, ex quibus P. Leſſius ſuprà Cap. 5. num. 55. Quorum ratio eſt, quia in rebus his communibus non cenſetur notabilis iniuria committi per eos, qui aliàs ius habent, niſi fortè enorme damnum inferatur. Idem eſt de incolis duorum oppidorum aut pagorum habentium loca compalcua, vel ſyluas cæduas; ſi alij in aliorum paſcuis paſtionem exercent, aut hinc inde lignentur, Sic P. Leſſius ibidem & Bonacina Diſput. 1. de Reſtitutione Quæſt. 3. Puncto 7. num. 26. vbi alios adducit. Quorum ea eſt ratio: quia licet ius ad talia abſolutè deſit: tamen quia paſſim ſcitur contrarium ab vtraque parte fieri, cenſentur communitates vicinam condonare quod ſublatum fuerit, contentæ multè, ſi qui in furto capiuntur. Ergo & licebit quod de aquã diximus propter ſimiles rationes. Vbi & ſine ſcrupulo à ſeruis vicini prædij aqua petitur, nonnihil pecunie dato. Cum autem illi peccare ſe in hoc grauius exiſtiment, eã certè ratione non licet, niſi illis id eſſe licitum quis perſuaſerit. Quod erit quidem frequenter, eo quòd miſeri iſti alimenta labori congrua non accipiant, vnde & poſſunt ſibi conſulere de bonis dominorum, & ita aquæ venditione. In villicis autem non ſic accidit, qui ex officio dampnis tenentur occurrere; vnde & ad reſtitutionem obligantur. Vide R. Gaſparem Hurtadum Diſput. 1. de Iure, Diſſicult. 32. s. Obſeruandum. Niſi fortè villicus videat, ſine detrimento prædij, cui præeſt, id ſtare poſſe, & ſatis ſit circa rem iſtam inſtructus, quales non pauci inueniuntur.

Ex probabilibus ſententiis præcedens doctrina roboratur.

Circa ſeruos & villicos notanda doctrina.

CAPVT XXII.

De Officiis vendibilibus, & prouentibus ex iisdem Regio patrimonio adiectis.

SVnt illa quamplura in Indiis, ſicut & in Hiſpaniã: vnde quæ communia vtrouque ſunt, non eſt cur laxo calamo perſequamur. Poſſe illa vendi iam vidimus Titulo 1. Cap. 16. Sed inquirendum circa hoc s. s. ſeqq. quod diſcuſſione aliqua videtur indigere. Ee ita ſit

§. I.

An transacta venditione possit Rex contra illam reclamare, & lesionem opponere, ad quod minori valde pretio fuerit celebrata.

Imprudens emptorium emptio.

Duo genera vendibilium officiorum, & in quo distractus non sit locus.

Rex ob lesionem magnam rescindere contractum potest.

Resolutio affirmativa.

Fit satis instantia ex scientia & prudente venditore.

167 ID quidem ita fieri videmus: vnde & non est audacter improbandum, licet querelæ graues emptorum imprudentium audiantur; Imprudentium quidem: quia euentum talem quando ad emptionem profuerunt, verosimiliter futurum minime præcauerunt. Et modò quidem de officiis non ago vendi solitis: in illis enim nullus esse distractus solet; vendantur enim iuxta dispositionem legitimam à Regio Indiarum Consilio transmissam, à Gubernatoribus, attentis omnibus circumstantiis, vnde vix locus esse penitentiæ potest ex parte vendentis: sed de Officiis aliis, quæ vendi non erat in vsu, aut nouiter introductis, cum salariis pinguis. Eo enim ipso quòd salaria ad eò pinguis sint, & quod pro officiis datur, illis improprietatum, potuerunt ementes penitentiam vendentis ob lesionem enormem, aut saltem magnam, coniectare. Quando enim enormis est, quia citra dimidium iusti pretij, eodem Rex uti iure, quo alij, potest. Si verò aliàs, potest similiter priuilegio frui, quo & multi alij, scilicet restitutionis in integrum: hanc enim Principi competere non recognoscit superiorem circa bona Coronæ, & quæ Reipublicæ sunt, testatissima est Scriptorum doctrina, vt videri potest apud P. Molinam Disput. 574. §. Respublica, Bonacina Disput. 3. de Contractibus Quest. 1. Puncto vlt. num. 25. qui plures citat P. Onate Tomo 1. Disput. 22. num. 60.

168. Atque ex hoc proposita difficultas videtur expedita: potest enim Rex suo iure uti, & ita restitutionem ipse exequi, cum Superiorem non habeat, à quo eam possit postulare. Videtur tamen instari posse ex doctrinâ communi circa restitutionem. Non enim ob lesionem quamlibet peti illa potest, sed quando contractus inconsultè, temerè, ac imprudenter est factus. Si enim quis sciens & prudens in eo processerit, non videtur locum habere. Neque enim captus, circumuentus, aut facilitate operans dici potest, quod iura ad restitutionem requirunt, vt videri potest apud P. Onate supra Sect. 2. vbi plures Textus & Auctores adducit. Fiant autem huiusmodi venditiones post attentam discussionem in Regio Indiarum Consilio, vbi viri attentè, maturi, & sapientes assistunt. Sed hæc non obstant: quomodocumque enim læsio accidat, restitutionis remedium suffragatur: Textus enim adducti ab Auctore citato de Minoribus procedunt, in quibus captio, circumuentio & facilitas solet accidere, propter quæ illis remedio restitutionis ex legum beneficio succurritur. Quo non obstante etiam illo potiuntur, quando non ipsi, sed parentes, aut tutores, vel alij administrationem bonorum habentes, aliquid per contractum, vel quasi contractum egerint, ex quo illis læsio notabilis oriatur L. Tutor vergentibus D. de Minoribus, Et Cap. Constitutus, de in integrum restitutione.

no. Pro quo videri potest P. Molina Disput. 573. §. etiam si tutor. Ex quo soluendum id, de quo statim.

§. II.

An ob non seruatum contractus fidem possit esse locus compensationi.

169 Q Vando scilicet plus petitur pro Officio ab eo, qui emerit, vel si dare renuat, alteri plus offerenti tradatur. Plus ergo det qui iam in possessione erat; ratione huius compensatione uti poterit? Si V. g. per plures dies à Tribunali abfuit, cum esset Rationalis maior, aut Regius officialis, ratione cuius absentia ad restitutionem teneret. Dicendum enim est absolute loquendo non esse locum compensationi, quia fiscus iure suo utitur, & qui emit, nihil supra iustum pretium tribuit, quandoquidem alij sunt supra id, quod ille dederat, offerentes. Si autem aliunde incommodum aliquod patitur pretio æstimabile, cuius non accipiat satisfactionem, uti poterit compensatione modo dicto, aut alio. E. g. Stipse officium in Hispaniâ emit ibi dato pretio, pro quo transuehendo magnas fecit expensas, vnde plus æstimatur pecunia in Hispaniâ, quam in Indiis. Vel si in Indiis soluit, sed suo periculo conducendam & expensis. Id quod videtur manifestum: nam restitutio talis fit restituito pretio ab emptore dato secundum illius æstimationem: cum ergo ita non fiat in casu, de quo loquimur, non est exacta solutio, ac propterea damnum poterit compensatione sarciri. Neque enim minor est ratio in Rege cum priuatis contrahente, quam inter priuatos ipsos. Pecuniam autem plus in vno loco, quam in alio æstimari, citra dubitationem est: quod & in Iure habetur expressum L. 2. §. finali D. de eo quod certo loco. Ex quo P. Lessius Lib. 2. Cap. 23. m. 36. id infert, quod communiter alij recipiunt, eum qui dat centum aureos Antuerpiæ, vt recipiat Hispani, debere Hispani plusquam centum accipere, quia Antuerpiæ habent maiorem æstimationem legalem: plus enim est Antuerpiæ habere centum aureos, quam Hispani: vnde vt fiat æqualitas, debet Hispani plus recipere quam centum. Quod si det Hispani vt recipiat Antuerpiæ, non poterit Antuerpiæ accipere tantumdem pecuniam, sed minus, seposito pretio traiectionis, & carentiæ sitæ pecuniæ: quia alioquin non esset dari & accepti æqualitas in æstimatione, que in omni contractu est seruanda. Pro quo & videri potest P. Onate supra Disput. 17. num. 19. & potest casui nostro pariformiter adaptari.

Non esse locum compensationis absolute loquendo.

Limitationes quadam.

Pecuniam plus in vno loco, quam in alio æstimari.

§. III.

Cum Rex precipiat vt in venditione officiorum idonei & benemeriti preferantur, & minori pretio illa habeant, an hoc decretum in conscientia obliget ex iustitia cum onere restitutionis.

170 D Ecreti prædicti meminit D. Escalona §. 2. num. 7. de Senatoribus vrbicis specialiter argenti: pro quo & videndus Dom. Solorzanus

Decretum de prælatione hereditatis.

inferiorum ex iustitia obligari.

Id videtur negare P. Sancius.

Sed non loqui in casu nostro magistraturæ.

Onus restitutionis probabiliter negatur.

Circa idoneitatem notanda doctrina.

Non obstante à Rege ipso non fieri venditionem.

Solorzantis in Politinâ Pag. 1001. Col. 1. Ad quod videtur dicendum obligationem quidem iustitiæ esse. Inprimis distributiua, iuxta quam bona Reipublicæ sunt aptioribus conferenda. Deinde commutatiua: quia ratione officij, pro quo gubernator stipendium accipit, teneret dispositioni legum stare; in iis præsertim, quæ ius tertij concernunt; vnde ad restitutionem salarij teneret, iuxta quod omissioni functionis istius potest respondere: quæ licet exiguum spatium temporis contingat exigere, rem tamen non exigui momenti contingit. Cui resolutioni non obstat quod tradit P. Thomas Sancius Lib. 2. Consiliorum, Cap. 1. Dub. 45. num. 10. vbi ait conferentem officium digno, omisso digniore, non peccare contra officium, & sic ad restitutionem non teneri: quia proprie ex officio tantum obligatur provide-re bono publico, præficiendo ei ministros dignos, sed tantum peccare contra fidelitatem officij. Non inquam obstat, quia loquitur attentè tantum ratione officij, & non secundum specialem obligationem, quam contrahit, dum salarium accipit pro illius rectâ administratione. Item, in eo casu talis doctrina procedit, in quo non fit speciale decretum circa personas aliquas, sed generalis illa obligatio præferendi meliores, quam officium secum affert. Quando autem speciale decretum extat, alia est ratio: vt si decretum sit conferendi officia nobilibus, indigenis, &c. & ita accidit in casu nostro.

171 De restitutione autem respectu eius, qui est defraudatus officio, maior est difficultas. Et quod obligatio talis non sit, quæ onus restitutionis inducat, est satis probabile ex doctrinâ multorum, quos adducit & sequitur P. Sancius supra, num. 15. dicentium ex omissione dignioris ad officia publica, præferendo dignum, non oriri obligationem restitutionis. Vbi quæstio videtur esse de nomine, an peccatum sit contra distributiua iustitiæ, vel commutatiua. Distributiua enim communiter dicitur, cum dici etiam commutatiua possit, quæ ius alterius respicit ex pacto cum Republicâ aut Gubernatore illius nomine. Sed quia ius illius non est in re, neque ad rem, ita vt iuri in re æquiualeat, sed imperfectum; ideo non oriri obligationem restitutionis. Quidquid autem de hoc sit, in casu nostro ratio est eadem, quia in eo de prælatione dignioris agitur: idoneus enim non ita accipiendus est, vt incapaci penitus opponatur, sed minus capaci: de indignis enim ob incapacitatem ex se constabat admittendos non esse, & ita non erat opus id cauere: cum aliàs idonei & capaces in fundamentali Regiâ Schedulâ requirantur, de quâ Dom. Solorzanus in Politicâ Pag. 996. Pro quo & est alia, de quâ num. sequenti. Benemeriti etiam qualitas ad maiorem spectat dignitatem: qui enim benemeriti sunt, iunctâ idoneitate, clarum est pro officio esse aptiores, quia magis circa Rempublicam affecti, & ita maius ex ipsis illius commodum sperari potest, iuxta dicta Titulo 1. num. 63. Nec obstat prælationem minus digni non fieri à Rege ipso, sed ab inferiori Magistratu, cui à Rege oppositum imperatur. Nam id quidem arguit sic facientem grauius peccare, non autem ad restitutionem teneri: quia ex eo præcisè quoddam contra legem faciat is, qui publica bona distribuit, quæ

non sunt primariò in ciuium vtilitatem instituta, non magis peccat contra iustitiæ, quam si lex talis non esset; quia lex nouam obligationem non imponit, sed naturalem declarat, vt dicitur Titulo 1. num. 71. cum bonis Auctoribus: & ita non aliter quam Princeps, qui suas circa hoc vices commisit, & stipendium quidem vterque accipit, vnde ex ea parte obligatio est eadem. Accedit, contra legem facientem in casu nostro, ad summum obligari in defectum præcipui debitoris, Regis inquam, qui maius commodum venditionis accepit: ad eum ergo, qui est prætermisus, recurrit: talis enim recursum admittendus, iuxta ea quæ adducit Dom. Solorzanus Pag. 1001. §. 7. esto es. Quod si repullam patitur, indicium erit probatæ venditionis ab ipso, & ita cessabit in inferiore Magistratu restitutionis obligatio.

172 Nihilominus oppositum solidis valde fundamentis nititur, & defenditur à multis & probatissimis Scriptoribus, vt videri potest apud P. Sancium supra, num. 12. & in casu nostro est id quod adduximus, num. 70. de officiis, pro quibus sunt peculiariter personarum genera designata, vt nobiles, indigenæ, determinatæ familia, &c. tunc enim transgressio onus restitutionis inducit. Cum ergo in officiorum, de quibus loquimur, distributione idonei, & benemeriti præferendi designentur, consimilis esse obligatio videtur. Pro quo & facit Schedulâ Ann. 1607. in quâ Rex noster Philippus Tertius profitetur se in horum officiorum venditione bonum Reipublicæ idoneitate præficiendorum plus quam proprium interesse desiderare: vt videri potest apud Dom. Solorzanum supra, pag. 1001. col. 1. vbi & alia in casu speciali. Quia verò vix erit qui de restitutione cogitet, probabilitate oppositæ opinionis extante; ideo illam conati sumus explicatione adhibita communiare, vt minus sit, circa quod conscientia possit Gubernatorum impingere. Qui in eâ quidem grauius peccant, in quo eis nihil indulgere volumus: sed restitutionis grauiorem molestissimum & periculosissimum remouemus.

Obligatio nem restitutions extare certè magis.

§. IV.

An leges renuntiationis sint iustæ, & obligent in conscientia.

173 V Idetur sanè in illis difficile quòd si renuntians non superuiuat dies viginti post renuntiationem, officium amittat: cum possit contingere vt post emptionem tali renuntiationi locus non fuerit, superueniente morte. Item, quia cum talis dispositio ob vitandas fraudes sit, quæ solent sub mortem in renuntiationibus talibus accidere, vt omnes agnoscent, & constat ex Schedulâ Ann. 1622. apud Dom. Solorzanum supra, Pag. 1005. §. 7. quare: multoties illæ non sunt, quod constare facile potest ex loco, tempore, aliisque circumstantiis: vel quia renuntiatio facta est in personâ filij, aut vnici aut maioris. Quibus euentibus inhumanum apparet officium deperdi, & hæredes nullum posse ex eo emolumentum reportare. Sed hæc non obstant, quò minus

Difficultas circa dies 20. post renuntiationem.

Obligare legem in illis.